



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 64. Obelisci jussu Sixti V. Pontificis Romæ erecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. eorum vero decreta potissimum ex aliis
A.C. 1586. Conciliis, ac jure Canonico erant de-
 prompta, quæ etiam omnia a summo
 Pontifice die vigesima septima Octobris
 Anno Christi millesimo quingentesimo
 octogesimo sexto confirmata primo præ-
 lo anno Incarnationis Dominicæ mil-
 lesimo sexcentesimo vigesimo excusa
 prodierunt.

§. LXIV.

*Obelisci jussu Sixti V. Pontificis Ro-
mæ erecti.*

Thuan. l. 84. *Spond. hoc* *ann. n. I.* *Ciac. tom. 4.* *pag. 116.* Cum Italia a tempore, quo Sixtus V.
 ad supremum Ecclesiæ Pontifica-
 tum assumptus fuerat, tumultibus alias
 reliquam Europæ partem agitantibus
 nullatenus turbaretur, hic idem Pon-
 tifex sui nominis gloriam, memoriam-
 que posteris commendare sollicitus in
 variis Romanæ Urbis locis monumen-
 ta erigere statuit, ac præprimis quem-
 dam Obeliscum, qui retro ad Ecclesiæ
 Vaticanæ Sacristiam pene sepultus ja-
 cebat, e suis ruinis erui, illumque ad
 præfatæ Ecclesiæ forum transferri cu-
 rabat. Hic obeliscus ferme solus in-
 teger, illæsusque permanerat, olim
 ab Ægypti Rege Sesostris Filio Soli
 consecratus, quem postea Caligula Ro-
 mam transferri jusserat: Nero autem,
 qui circum suum nobilissimo hoc monu-
 mento

mento præcipue ornabat, eundem Augusto, & Tiberio nuncupaverat.

Sæcul. XVI.
A.C 1586.

Equidem Julius II, & Paulus III. hunc obeliscum transferendi consilium fovebant, operis tamen exequendi difficultate, ac sumptuum gravitate absterrebantur: verum Sixtus V. neutro ter-ritus Congregationem instituit ex iis conflata Cardinalibus, qui ad tantum opus magis idonei censebantur, ubi ipse etiam summus Pontifex sæpe eorum consultationibus intererat, cumque hujus consilii fama celebriores Europæ Architectos Romam alliceret, eorum quivis varia hoc propositum exequendi media proponebat: præplacuit tamen Dominici Fontanæ Novocomien- sis consilium, eo quod illud minus difficile videretur, ac tam prospero executionis successu comprobatum esset, ut etiam illi, qui antea eidem sese opponerent, veluti attoniti hærerent: cum autem juxta Fontanæ calculum hujus immensæ molis pondus esset non-gentarum quinquaginta sex millium, & centum quadraginta octo librarum, hinc idem Architectus ad dirigendas, quæ ad hunc obeliscum centum, & septem pedibus longum in area elevan- dum servirent, machinas plusquam octingentos homines, centumque, qua- draginta equos adhiberi voluit: igitur
divine

Sæcul. XVI. A.C. 1586. divino auxilio per solemnes preces im-
plorato tandem ingens hæc moles fe-
ria quarta die ultima Aprilis erigi cæ-
pit, ac die decima Septembris suæ basi
Leti t. 2. l. 1. insistere cernebatur. Postmodum sum-
mus Pontifex feria sexta sequenti hunc
Obeliscum ritu solemni sacrabat, sanctæ-
que Cruci nuncupabat: fundamentis
autem quamplurima ænea numismata
ingessit, additis duabus parvis cistis,
quibus includebantur duodecim alia nu-
mismata, quæ ejusdem Pontificis effi-
giem ex una, ex altera vero parte varia
temmata exhibebant.

Completo grandi hoc opere Sixtus
prope Ecclesiam sancti Rochi alium Obe-
liscum, quo olim Augusti Cæsaris Mau-
solæum ornabatur, effodi, ac prope
Ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris in foro
collocari curabat. Supererant adhuc
duo alii ejusmodi obelisci, qui tamen
jam pluribus abhinc sæculis sub Circi
majoris ruinis sepulti, ac confracti ja-
cebant, eos tamen Sixtus erui, ac trans-
ferri jussit, & quidem unum ad aream
sancti Joannis Lateranensis, alterum
vero ad forum sanctæ Mariæ de Po-
pulo, ex quibus postremus sub Augusti
imperio Romam delatus ab eodem Im-
peratore Soli nuncupabatur, prout ex
veteri inscriptione ibidem insculpta de-
prehenditur.

§. LXV.